



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dips. CLXXXVI. An operationes vitæ posterioris generis fieri possint ab
Angelis in corporibus assumptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

les vocibus humanis.

Ad quintum dicendum, quod nec etiam comedere proprie loquendo, angelis conuenit, quia comestio importat summptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis. Et quamuis in corpus Christi post resurrectionem, cibis non conuerteretur, sed resoluatur in præiacentem materiam: tamen Christus habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibis conuerteri. Vnde fuit vera comestio. Sed cibis assumptus ab angelis neque conuerteretur in corpus assumptum, neque corpus illud talis erat naturæ, in quod posset alimentum conuerteri. Vnde non fuit vera comestio, sed figuratiua spiritualis comestionis. Et hoc est, quod angelus dixit Tobie 12. cum essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu inuisibili, & cibo vtor. Abraham autem obtulit eis cibos, existimans eos homines esse, in quibus tamen Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in Prophetis, vt Aug. dicit. 16. de Ciuit. Dei.

Ad sextum dicendum, quod sicut Aug. dicit 15. de Ciuit. Dei, Multi se expertos, vel ab expertis audiuisse confirmant, Syllanos & Faunos (quos vulgus incubos vocat) improbos saepe extitisse mulieribus, & earum experisse atque percessisse concubitum. Vnde hoc negare impudentia videtur. Sed angeli Dei sancti nullo modo sic labi ante diluuium potuerunt. Vnde per filios Dei intelliguntur filij Seth, qui boni erant. Filias autem hominum nominat Scriptura eas, quæ natæ erant de stirpe Cain. Neque mirandum est, quod de eis gigantes nasci potuerint. Neque enim omnes gigantes fuerunt, sed multo plures ante diluuium quàm post. Si tamen ex coitu damoni aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decusum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, utpote, quod idem demon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem: sicut & aliarum rerum semina assumunt ad aliquarum rerum generationem (vt Augustinus dicit 3. de Trinitate) vt sic ille, qui nascitur, non sit filius damonis, sed illius hominis, cuius est semen acceptum.

Explicatio Articuli.

30.

CONCLUSIO est, Quod attinet ad id, quod proprium est viuientium, Angeli non possunt exercere opera vitæ secundum id vero, quod commune est operibus viuientium, & non viuientium, ea exercere possunt. Docere vult sanctus Doctor, posse produci ab angelo in corpore viuente actionem aliquam, quæ exterius similis sit actioni vitæ, cum tamen reuera non sit, qualis est locutio, & deambulatio.

ARTIC. III.

Actio enim vitalium duplex genus est. Alterum earum, quæ secundum substantiam suam nequeunt esse, nisi à vita, quales sunt operationes sensuum; & hæc actiones in corpore assumpto fieri non possunt ab angelis: & in hoc plane conveniunt Doctores in 2. d. 8. generationem vero de qua posset esse aliqua difficultas propter damones incubos, qui ad mulieres accedentes generare possunt, docent fieri non posse in corpore assumpto, nisi deferendo aliunde semen in, sicut conuertere possunt applicando ignem materię, quod reuera non esset generare: nam generare est ex substantia propria semen decidere, cuius virtute in matrice mulieris proles fiat: hoc autem factum confirmatum manet, supra disp. 178. c. 5.

Alterum genus operationum vitalium, est earum, quæ secundum substantiam fieri possunt à principio non viuente, licet non quod modum; sicut locutio, deambulatio. Vocamus autem modum harum actionum, respectum illam peculiaritatem, quem habent ad tale principium, substantiam vero actionum, motum ipsum. De his ergo inquit S. Thom. esse posse, quoad substantiam ab angelo in corpore assumpto, quia secundum illam & assimilantur actionibus non viuientium, & cum illis conveniunt, non autem secundum modum peculiaritatem, quo sunt à viuentibus.

DISPUTATIO CLXXXVI.

An operationes vitæ posterioris generari possint ab Angelis in corporibus assumptis.

Varia scholasticorum placita, cap. 1.

Vera sententia, cap. 2.

CAPVT I.

Varia scholasticorum placita.

DE operationibus prioris generis nullus haec dubitauit, sed omnes ingenue fatentur, fieri non posse ab angelo in corpore assumpto, neque secundum modum, neque secundum substantiam: nam quamuis nutritio secundum substantiam, quæ est conuersio cibi in substantiam viuientis à Deo fieri queat; tamen ab angelo fieri non posse, nulli dubium est. Difficilis solum est de operationibus posterioris generis, vitæ secundum substantiam, & modum; an secundum substantiam tantum ab angelo in corpore assumpto procedere possint. In qua difficultate prima opinio est Durandi in 1. disp. 8. quest. 2. num. 5. vbi docet, nec deambulationem, quam motum proprium philosophi vocant; nec locutionem proprie conuenire posse angelo in corpore assumpto, sed aliquid, quod simile est voci, & deambulationi. Videtur itaque, nec secundum modum, nec secundum substantiam has operationes angelis tribuere. Fundamentum huius opinionis tradidit in ea quest. num. 4. quia actio viuientis beneficiam dicitur, vno modo, quia est solum à viuente, vt à principio, & hoc non sufficit, vt dicatur simpliciter & proprie actio viuientis. Alioqui & projectio lapidis, quæ fit à viuente, proprie dici posset actio viuientis, hoc autem modo omnia, quæ fiunt ab angelo in corpore, dici possunt operationes viuientis, improprie quidem, & latiori significatione. Altero modo potest proprie dici operatio

16. de Ciuit. Dei cap. 25. & medio tom. 9. L. 15. de Ciuit. ca. 23. parum à prim. 15.

21. de Trinit. cap. 8. & 9. som.

operatio viuētis, quia non tantum est à viuente, sed in eo etiam recipitur, quare cum operationes Angeli in corpore assumpto, non recipiantur in viuente, consequitur, proprie non esse operationes vite.

2. Verum antequam nostram proferamus sententiam, interim contra Duran. notandum est ex illa sua ratione sequi, locutionem non esse propriam operationem viuētis, ac proinde secundum totam suam rationem, & modum ab angelo procedere posse: nam licet locutio sit à viuente & cognoscatur non tamen recipitur in viuente: est enim sonus quidam; huius autem subiectum proprium est aer, cuius verberatione fit, teste Arist. 2. de anima cap. 8. quare, ut optime obseruauit Alex. 2. p. q. 35. memb. 4. in corp. & ad argum. locutio non ideo dicitur operatio viuētis, quia in viuente fit, sed quia à viuente peculiari quadam ratione fiat, ut infra explicabitur.

Secunda sententia est Bonau. in 2. dist. 8. 1. parte distict. artic. 3. quasi 2. qui docet, tres esse modos operationum animæ; nam quædam sunt ab anima solum, ut à motrice & huiusmodi est deambulatio, & hæc possunt esse ab Angelo in corpore assumpto; potest enim habere rationem motricis. Aliæ vero sunt ab anima, non ut à motrice solum, sed etiam ut à perficiente corpus, qualis est per sensus operatio. Nonnullæ denique sunt partim ab anima, ut motrice partim ab ea, ut est corporis perfectio, ut ridere, in qua actione est motus localis dilatationis genarum, & exhilaratio interior: hæc quoque fieri possunt ab angelo in corpore assumpto, ea parte, qua sunt ab anima, ut motrice, non autem alia parte, qua sunt ab anima ut perficiente. Concedit itaque Bonauent. motum, quem vocant progressum, in Angelo, eodem prorsus modo, quo est in animali.

Tertia sententia est Scoti in 2. dist. 8. quasi vnica. §. In ista questione in medio illius, ubi ex vna parte docet, angelum in corpore assumpto non posse efficere vere motum illum progressum, locutionem, respirationem, & spirationem, & motum palpebrarum, sed tantum secundum similitudinem quandam externam. Ex alia vero parte affirmat, posse Angelos in corporibus assumptis vere comedere. Putat enim actionem comedendi in hoc solum sitam esse, ut aliquis motu locali diuidat cibum in vna parte & in aliam traiciat: in quo cum Scoto conuenit Alex. 2. part. q. 25. memb. 2. idque probabile putat Gabr. d. illa 8. q. 1. art. 3. dubitat. 2.

CAPVT II.

Vera sententia.

Mhi vero sententia S. Thomæ in hoc art. in corpore, & in solutionibus argumentorum amplectenda videtur, videlicet actiones posteriores generis ex ijs, quas Scotus paulo ante enumerauit, procedere quidem posse ab Angelo secundum substantiam tantum, non secundum modum; cumque denominationem sortiantur non à substantia tantum, sed etiam à modo illo, sit, ut in angelo tales operationes non possint illo nomine vere nuncupari, sed secundum similitudinem tales dicantur: huiusmodi sunt deambulatio, respiratio, tussis, risus, motus palpebrarum, actio masticandi & locutio. Quare in his actionibus viuētium distinguenda est substantia motus à modo, quo ab agente procedit. Substantia namque motus

vel pedum, vel palpebrarum, vel aeris, vel alterius partis, aut totius subiecti, quod mouetur, eadem fieri potest ab Angelo in corpore assumpto: hæc enim non pendet à corpore viuente: at modus ille quo procedit, ex quo & denominationem accipit, ita postulat esse à viuente, sicut à principio, ut ab angelo in corpore assumpto non supplicatur, & ita veram appellationem ab eo non habeat, sed tantum secundum similitudinem. Ostendimus igitur in singulis motibus peculiarem illam rationem principij, quam connotant.

Primo quidem motus, quem dicunt progressum, sit media virtute, quæ residet in tendonibus, media etiam imaginatione, & appetitu, ratione cuius motuum secundum locum dicitur ab Arist. 2. de anima c. 3. differentia, & gradus quidam peculiaris animæ: cum ergo vis illa non sit in corpore assumpto, nec imaginatio, nec appetitus, non magis dicitur illa deambulatio, quam si aliquis homo moueret cadatier, ita ut ambulare videretur: idem dicendum de motu palpebrarum. Secundo spiratio, & respiratio, & tussis licet non fiant media imaginatione necessario, sunt tamen vi naturæ animalis residentis in pulmone, & hic modus ipsis nominibus connotatur. Tercio risus fit media imaginatione & delectatione appetitus à re ludicra, & noua, ex qua prouenit motus septi transversi, & inde genæ dilatantur, & mouentur, & totum hoc ipso nomine risus significatur. Quare, si statua aliqua ita esset composita, ut haberet talem motum genarum, non diceretur vere ridere, quia deesset illi modus tali nomine significatus: atque idem sentiendum est de fletu. Quarto de locutione, & voce dicendum est; substantiam illius, & soni non differre essentialiter: locutio tamen, seu vox dicitur sonus à tali causa: nam sicut Arist. 2. de anima cap. 8. definit vocem esse sonum editum cum imaginatione ab animali; sic etiam locutio dicitur sonus, qui reuera in aere editus est ab homine cum imaginatione, ad significandum. Ideo bruta animantia dicuntur quidem edere voces, sed non loqui: eadem ergo ratione Angelus nec loqui, nec voces edere potest.

Postremo de actu comedendi dicendum est eodem modo, posse esse motum illum secundum substantiam, sed non secundum modum peculiarem, quo fit à causa, ratione cuius aliquis proprie dicitur comedere: est enim de ratione illius operationis, motus conterens cibum, & in stomachum traiciens, factus ab animali: quare angeli, qui in corporibus assumptis solum conterunt cibum, non dicuntur proprie comedere, ut aperte docuerunt S. Th. in hoc art. 1. Bonauent. ad 5. Bonau. in 2. dist. 8. 1. p. art. 3. q. 1. Ricard. art. 1. q. 5. in corp. & ad 1. & 2. & manifeste ex Scriptura colligitur. Nam Tobias 12. Raphael dixit, Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere: sed ego potui inuisibilis, & cibo vtor; quid est, videbar? nisi ita apparebam exterius, ac si comederem, cum tamen reuera non comederem, quia alia cibo ego sustentor: De Christo autem post resurrectionem, docet S. Doctor in ea solutione quinti, vere comedis, quia motus ille vere fuit à corpore viuente conterente cibum, & traiciente in stomachum, cum ordine ad nutritionem; tamen, quia gloriosum erat, nutritio secuta non fuerit, sed cibum ille euauerit, id enim verius existimo, quam quod asserunt Scotus, & Gabr. nutritionem nimirum forsitan fuisse sequutam.

Quidam

Motum progressum non posse fieri ab angelo secundum modum concluditur.

De locutione.

De comedendo.

S. Thomæ.
Bonauent.
Ricardus.

6.

*Argumentum
aliquorum
contra Scotum.*

Quidam vero ita contra Scotum argumentantur. Si actio comedendi in angelo ita est vera, sicut in homine; efficitur, fuisse tam veram, quam actionem comedendi in Christo post resurrectionem: quare illa non potuit esse efficax argumentum ad comprobendam resurrectionem, cum eodem modo vere fieri posset ab angelo in corpore assumpto. Respondent Scot. & Gab. non omnia argumenta illa resurrectionis secundum sensum fuisse sigillatim sufficientia, bene tamen omnia simul: quod expresse sensit S. Thom. 3. p. q. 5. ar. 6. ad 1. præsertim accedente testimonio Scripturarum, & angelorum, qui dixerunt, Christum surrexisse. Et quidem si de probatione ad sensum loquamur, existimo, illud argumentum comedendi, per se solum efficax non fuisse, sicut reuera fuit se præbere tangendum discipulis, ut notavi disp. 184. cap. 2. nam licet actio comedendi in Christo fuerit vera actio viuæ, cum reliquis necessariis ad veram rationem talis actionis; id tamen quod exterius apparebat, solum erat substantia illius motus, qui eodem prorsus modo in corpore assumpto posset apparere, modus enim ille peculiaris, quem diximus esse de ratione illius actionis, non potest videri, & sensu diiudicari: quare argumentum prædictum contra Scotum non multum probat. Respondet deinde, aliquid habuisse in Christo actionem illam comedendi, quod in angelo non habet, scilicet ordinem ad nutritionem, quem forsan ipse putat denotari eo nomine, & ita saltem intellectu & fide resurrectio Christi comprobari potuit: nam cum visu non posset hic ordo dignosci, non potuit esse argumentum sensui patens: quocumque ergo modo fiat argumentum hoc contra Scoti sententiam nullius momenti est.

*Alexand.
S. Thom.
Gabriel.
Augustin.*

Hinc fit, ut cum Abraham tres angelos inuenerit, angelos esse: ita docet: Alexand. 2. p. q. 34. membr. 6. & S. Thom. in hoc artic. ad 5. Gabr. in 2. d. 8. q. 1. art. 3. dub. 3. quod vero Augustinus ait Epist. 49. q. 1. Angelos escas sumpsisse, & eodem etiam modo Christum, non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, non necessitate, sed potestate comedisse, sic est intelligendum, non quia angeli ita vere, sicut Christus, manducauerint; sed quia aspectibus hominum tam Christum manducare, quam angeli videbantur, non præstigiis, & illusione aliqua sensus, sed vera apparitione: nisi forsan August. secundum opinionem eorum, qui putant, angelos esse corporeos, à qua ipse non multum abhorret, senserit angelos in corpore naturali vere manducare, sicut in alia animalia.

QVÆSTIO LII.

De comparatione angelorum ad locum.

Deinde quaeritur de loco angeli. Et circa quod quaeruntur tria.

ARTICVLVS I.

Vtrum angelus sit in loco.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod angelus non sit in loco, Dicit enim Boet. in lib. de Hebdom. Communis animi conceptio apud sapientes est, incorporalia in loco non esse. Et Aristot. in 4. Physic. dicit, quod non omne quod est, est in loco, sed mobile

269.
2. d. 37. qu. 3.
art. 1. & 2. &
d. 6. art. 3. Et
p. q. 3. ar. 19.
& quod 11
q. 1. Boet. in li.
An omne
quod est bonum
sit, circa
princip.

corpus. Sed angelus non est corpus (ut supra ostensum est) Ergo angelus non est in loco.

2. Præterea. Locus est quantitas positionem habens. Omne autem quod est in loco, habet aliquem situm: sed habere situm non potest conuenire angelo, cum substantia sua sit immunis à quantitate, cuius propria differentia est positionem habere. Ergo angelus non est in loco.

3. Præterea. Esse in loco est mensurari loco, & contineri à loco, ut patet per Philosophum in quarto Physicorum. Sed angelus non potest mensurari neque contineri à loco: quia continens est formaliter contentum, sicut aer aqua: ut dicitur quarto Physicorum. Ergo angelus non est in loco.

Sed contra est, quod in collecta dicitur, angeli tui sancti habitantes in ea nos in pace custodiant.

Respondeo dicendum, quod angelo conuenit esse in loco: æquiuoce tamen dicitur angelus esse in loco & corpus. Corpus enim est in loco per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensionum quantitatis. Quæ quidem in angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque, dicitur angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere quod angelus committitur loco, vel quod habeat situm in continuo: hoc enim conuenit corpori locato, prout est quantum quantitatem dimensionum. Similiter etiam non oportet propter hoc, quod contineatur à loco. Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam & non continetur ab ea. Anima enim est in corpore ut continens, & non ut contenta. Et similiter angelus dicitur esse in loco corporeo, non ut contentum, sed ut continens aliquo modo.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Prior conclusio est, Angelus in loco esse tam angelus, & corpori æquiuoce conuenit. Posterior conclusio, Angelus est in loco per applicationem suam virtutis ad locum. Vtrique conclusio sequentibus dispositionibus est nobis magis explicanda.

DISPVT. CLXXXVII.

Num Angeli vere sint in loco corporeo.

Catholica, & certa doctrina, cap. 1.
Argumenta contra prædictam sententiam, cap. 2.

CAPVT I.

Catholica, & certa doctrina.

Non defuerunt qui dicerent, angelos vere & proprie loco corporeo secundum substantiam